

JAHRESBERICHT

des

k. k. zweiten Obergymnasiums

in **LEMBERG**

FÜR DAS SCHULJAHR

1884.



LEMBERG.

Buchdruckerei des Stauropiganischen Instituts.

Geschäftsleiter: Stephan Huczowski.

1884.

LAHREBERICHT



nr 1215
Spr. 132

k. k. zweites Obergymnasium

I N H A L T.

- I. Historia anni 1683 ex annalibus Stanislai Josephi Biezanowski excerpta. Ex codice manuscripto bibliothecae Ossolinensis nunc primum edidit Franciscus Majchrowicz.
- II. Schulnachrichten von der Direction.

1883



LEWIS

Leipzig, Druck von C. Neumann, Neudamm, 1883.

1883

HISTORIA ANNI 1683 EX ANNALIBUS

STANISLAI JOSEPHI BIEŻANOWSKI

excerpta.

Ex codice manuscripto bibliothecae Ossolinensis
nunc primum edidit

FRANCISCUS MAJCHROWICZ.



Annus Christi 1683.

Triumphalem hunc annum victricibus ad Viennam Christianorum palmis totque aliis contra Turcam laetis successibus memorandum, non licuit Universitati nostrae nisi cum gravi dolore exordiri, magno rerum suarum Atlante, curis tandem ingentibus succumbente et ad fatalem mortis urnam evocato. Is fuerat vir, nunquam satis cum dignitate dicendus, Simon Masłowski, S. Th. Doctor et Professor, Canonicus Crac., Universitatis nostrae Procancellarius, magnitudine et multitudine scriptorum in rebus Philosophicis, Theologicis Sacrisque concionibus aeternum victurus. Maturus ille ad Universitatem accesserat, iam sacris ordinibus initiatus, sed mox post obtentas Philosophicas laureas, disputationibus publicis, sacri eloqui gratia et Praefectura seminarii Cracoviensis administratione inclaruit, a magnis viris in pretio habitus ac praecipue Simonis Starowolscii, celeberrimi inter Polonos scriptoris, Canonici Cracoviensis familiaritate et consuetudine usus, et a Peraugusto Capitulo Cracoviensi praeclara virtutis et eruditionis suae encomia promeritus inde ad minus et Maius Collegium honorifice vocatus, post cursum Vladislavianum, ter gloriose expeditum, Professor S. Th. factus inciderat in ea tempora, quibus Universitas nostra atrocibus dissensionum procellis intus et foris cum Andrea Trzebicio, Praesule Cracoviensi, graviter agitata cum acerbissimo studiorum suorum statu luebatur. Inter haec summe ardua et odiosa Rectoralibus sceptris toties ad se delatis, parem animum et boni publici zelum tanto regimini admovit, multaque adversa, ut privilegia Universita-

Obitus Simonis Masłowski, S. Th. Doctoris et Professoris, Canonici Crac., Procancellarii Universitatis.

tis sarta tectaque conservaret, insuperabili constantia vicit, nec unquam inter gravissimas rectorales curas et lites cum Episcopo ardentissimas, a scribendis voluminibus destitit, eruditis operibus prelo vulgandis ad extremum usque seniuni intentus; quo gravatus, manum tandem de tabula tollens, ad beatissimam quietem abiit selectissimorum auctorum libris bibliothecae Academicae magno numero per testamentum donatis: cui tanquam viro summo et desideratissimo ad Aedes D. Annae die 17. mensis Januarii omnes Academici iustis funebriis parentaverunt Canonicatumque Cracoviensem Alberto Dąbrowski, S. Theologiae Doctore et Professore, Decano S. Floriani iterum renuente, Jacobo Baltazarowicz, S. Th. Professori detulerunt.

27. Januarii
Comitia
Varsaviae
incohata.

Legatus
Summi Pontificis
et Caesaris Leopoldi
societatem armorum
urgens.

At in Republica ingens rerum cardo, de armorum societate contra Turcas, cum Caesare et Venetis ineunda, dum vertitur, Comitia Regni Generalia ad diem 27. mensis Januarii Varsaviae destinata, consultationem hanc omnium maximam incohavere. Aderat Opicius Palavicini, Archiepiscopus Ephesinus, Innocentii XI. Pontificis Maximi Nuntius Apostolicus et Carolus Comes Valstenius, Imperatoris Leopoldi Legatus, qui id nomine suorum Principum flagrantissime urgebant, deputatique fuerant ex Senatu et Equestri Ordine, qui hac de re cum iis colloquio speciali conferrent, foederisque ineundi circumstantias omnes, puncta et conditiones serio iudicarent. Adducebant ii pro parte sua, qui societatem armorum suadebant, non posse Hungariam, Austriam, Germaniam periclitari, nisi cum manifesto conterminae sibi Poloniae periculo, cum helluo istic Regnorum et iuratus Christianorum hostis, nunc illos viciniores sibi populos ideo aggrediatur, ut exploret, qua parte sibi opportunior adus ad interniora Christianitatis, vestibulorum ruptis obicibus patere possit. Hoc eum vidimus egisse cum Venetis erepta et subiugata Candia; hoc eum Moschis ad Boristhenis ostia lacessitis; hoc eum Polonis ulteriori Russia, Cameneco et Podolia spoliatis, hos cum Caesare quoque agere velle, ut cui pridem inexplebili cupidine inhiat, orbis totius imperio potiatur. Polonis certe facilius erit, in alieno solo malum imminens et inevitabile avertere meliusque consociatis armis hostis istius potentiam distrahere, quae si tota soli sibi inculceret praesertim tot bellis debilitatae et concussae exitiali mole intolerabilis est. Pacis cum eo securitas et induciarum fides nulla, quas ille pro ambitu et libitu suo statuit et rescindit. Finitimos quoque populos armis si non infestat, id non agit, ut quietos esse velit, sed ut commodius reprimendos reservet, et quia belligerare cum pluribus simul non est solitus immo nec per leges Machometanas permissum, contra plures non praevalere tantum,

ut unitas Christianorum vires fortiores non sentiat. Meruisse quoque apud Polonos augustam Domum Austriacam, submissis contra Suecos auxiliariis copiis, ut in tanta et adeo formidanda utriusque gentis necessitate retaliationem illi gratiae armis socialibus praestent. Haec et plura bellum foederatum suadentia fuere. Cui qui adversabantur contra inferebant, Poloniam continuis 34 annis ab initio belli servilis per tot deinceps atrocissimas hostilitates laceratam, exhaustam, prope consumptam respiriis penitus indigere; novo etiam bello implicari nec debere nec posse inter tot avulsiones Provinciarum inter tantas rerum privatarum publicarumque angustias inter tot stipendia militi non exsoluta. Vladislaus IV., Rex ille victoriosissimus, cogitaverat id aliquando et id illi quamvis florentissimis reipublicae temporibus per Reipublicae interventionem haud fuerat concessum. Imploravisse nuper Polonos, cum gravi bello Othomannico premerentur, opem Caesaris et Christianorum Principum subsidia nec non quidquam praeter verba commiserationis, rerum vacua, retulisse, cum unicuique quies domi potior, quam aliena necessitas videretur. Subsidia quoque contra Carolum Gustavum, Sueciae Regem a Caesare missa quod attinet, constat certe ex anteactis temporibus, saepius id Polonos Austriacis quam Austriacos Polonis fecisse et tum demum iustam esse relationem gratiae, cum exhiberi sine extremo discrimine possit. Haec Varsaviae in Comitibus dum serio agitantur, extrahuntque tempus rei magnitudine consilia et vota deliberantium remorante, Tekellius in Hungaria spebus magnis in immensum elatus acer et insolens, dum fidos Caesari, qui superfuerant, varie persequitur, praecipuam furoris sui rabiem in praecellentis animi et nominis virum Sylvestrum Joannelli S. R. I. liberum Baronem, Camerae Scepusiensis Administratorem consiliariumque Caesarem, dira malignitate et perfidia effudit. Insignis hic et eximius vir Joannelli natione fuerat Italus, claris natalibus in Ducatu Mediolanensi ortus, Cardinali Odeschalco, postea Innocentio XI. Pontifici Maximo iunctus, ob animi dotes praestantissimas, Caesari Leopoldo acceptus, Serenissimo quoque Joanni III., Poloniarum Regi, ob eadem eximiae mentis decora carus. Singularem eius prudentiam, dexteritatem, fidem illibatam multis sibi experimentis cognitam ornaverat Caesar praeclearis honoribus adhibebatque functionibus publicis ob viri integritatem et fidelitatis erga se invictam constantiam; ob quam Tekiellio et aliis rebellibus summe invisus, sceleratae illius colluviei, atrox in se odium provocaverat. Ergo Tekiellius opprimendo homini undique intentus cum iam apud Turcas exitiale Caesari bellum adornasset, antequam Germanicae copiae e stativis hibernis pro-

Hungari rebelles Silvestrum Joannelli, virum illustrem et Caesari fidum, iussu Tekiellii obsident et oppugnant in arce Dunavecensi.

Obsessi per 5 hebdomadas vim hostium fortiter sustinent.

Dedita arce Joannelli a rebellibus capitur.

A Tekiellio in vincula conicitur.

Octo millium aureorum litro persoluto aegre dimittitur.

dire possent, utendum tempore ratus aliquot millibus rebellium cum apparatu bellico immissis obsideri eum in arce sua Dunavecensi et oppugnuare acriter mandavit, opus nefarium accelerans, ut subsidiis ferendis opportunitatem praeventione illa criperet. Arx haec in praerupta rupe, quam Niedzieckam vocant, sita, non longe ab arce Czostinensi, ditionis Poloniae, in confiniis Ungariae distans, positione loci satis munita; eadem defensionem opportuna fuerat, nisi illi vis tanta hostium subito incubisset aut si spes aliqua suppetiarum affulsisset. Exceptit tamen et sustinuit fortiter, cum modica manu suorum cordata Joannelli virtus aggressionem illam rebellium, satis validam et ferocem a die 3. Aprilis usque ad diem 5. Maii continuatam; cui ex adverso obsessi quamvis in arcto positi paria reddidere, nihil veriti tormentorum assiduus batus, ignitorum globorum sulphurea missilia, aedificiorum ob inviolentam quassationem cadentium¹⁾ ruinam, hostium irrequietos insulsus, et ultimi excidii horribiles minas. Sed cum ab exercitu Caesareo toties implorata subsidia praesertim anni intempestivo tempore tardescerent eorumque tandem spes omnis evanesceret, hostibus ad deditonem obsessos sollicitantibus speciosasque conditiones offerentibus, consultius visum est furentium manibus honesta deditone cripi, quam in apertam perniciem sponte praecipitari?²⁾ Verum quae apud perfidos Deo Caesarique rebelles promissae fidei securitas vel pactorum observantia! Dedita enim arce foedifragi illi subito in Joannellum et eius comites bonaque investit, uxore cum aliis domesticis aegre ad fines Poloniae elapsa, ipsum Tekiellio tradendum, per summam perfidiam, captivum duxere, Prussiae Cassoviaeque prius velut in triumpho ductum et ostentui tandem ad rapacissimas Tekiellii manus detrusum. Laetus ille exosi hominis desideratissima praeda, in vincula coniectum, mutatis in Sergec, Resec et Monhacz carceribus, arcte custoditum ad extremum Turcis prodendum decreverat, nisi magnorum Principum ferventissima prece ac potentissimum Serenissimi Regis Poloniae augusta interventione id effecisset, ut cum 8. millium aureorum in specie gravi litro multatum, scelere suo et tanto spolio satis delectatus post tot aerumnas dimitteret. Ita vir innoxius ac vero heroici animi servatae erga Caesarem intaminate fidei aetate nostra insigne praebuit documentum. Caesar quoque virtutem adeo invictam et constantem quantum aestimaverit, post fortunarum eius ruinam et bonorum, quae in Ungaria possederat, horrendam depopulationem, nova redituum occasione et in ipso Joannellio et in posteris eius satis auguste ostendit. At Varsaviae post rationum ex utraque parte, pro foederatis armis cum Caesare iungendis et e contra diutius

productam concertationem, iustante Summo Pontifice, urgente Caesare, rumoribus bellicis ab Oriente incrementibus, res ipsa dum immane periculum loquitur. Praevaluerat tandem, Deo sic volente, pro sacro belli foedere decernendo sententia, omnium Regni ordinum suffragiis approbata, ob quam etiam causae Morstinianae satis arduae et implicatae indulgendum fuerat, ne tanti momenti negotium aut Comitiorum, exitus dissolveretur.³⁾ Nec minus coniunctioni huic armorum profuit, quod per eam cautum fuerit, ne quispiam ex Colligatis Principibus ab hoc inito foedere recederet, nisi parva victoria vel perpetua pace constituta. Ad haec quod conscriptis, per Eminentissimum Cardinalem Pium ex parte Augustissimi Imperatoris, per Cardinalem vero Carolum Barberinum ex parte Serenissimi Poloniae Regis, belli huiusce foederati conditionibus Innocentius XI. Pontifex Maximus, ut sponsor et arbiter ultimam apponere manum promitteret. De Moscho etiam pervulgatum fuerat, eum quoque foederi huic accessurum expectabanturque in Comitibus Legati eius, quos praevenerat Internuntius, velociori cursu ab iis Varsaviam expeditus, ut eorum tardiores adventum ob locorum distantiam et viarum difficultatem excusaret. Et advenerant illi quidem finitis Comitibus Cacadaiovius, alter Hołoszow dictus, sed pro more suo nihil determinatum hac in re deferebant, ut occultis cum Turca pactis iudiciis Principum foederatorum progressus pro sua astuta eunctatione a longe spectarent foverentque deinceps consilia ex re et successu meditamentis suis opportuna.

Ergo promulgata armorum socialium foedere varietate per Poloniam accepto Caesar quidem Leopoldus cum statibus imperii ad exercitus Germanicos, numero quam maximo augendos, Rex vero Joannes ad supplendas veteranas Equitum et peditum legiones, ad novos delectus faciendos, ad necessarium tanto bello armamentarii militaris apparatus, curas omnes convertit.

Permissi quoque sunt, aere Caesareano conducti milites nostri, sub signis Germanicis militare, conscripti potissimum ab Hieronymo Comite Lubomirscio, Mareschalco Curiae Regni eiusque ductu aegre tandem per medias rebellium acies in Austriam mense Julio deducti. Fervebat iam in Oriente opus ferale, triennialibus ut diximus curis, exitio Christianitatis destinatum, Mahomete IV. Turcarum Imperatore, cum magno Vesyro id agente, ut ex Asia, Africa et Europa coadunatis viribus per Caesarem oppressum, toti qua late patet Christianitati vis se Othomanica infunderet. Exciti proin a finibus terrae populi, moribus, habitu, lingua et militandi genere discrepantes; congregata gentium manus validissima, imperata subiectis provinciis tributa, iniuncti

Foedus armorum contra Turcas cum Caesare in Comitibus decernitur.

Moschorum legati finitis Comitibus advenerunt.

Ingens Turcarum ad bellum apparatus.

militum delectus et commeatus, belli apparatus ingentes, quae omnia immensis sumptibus coacervata, cum iam praesto adessent, Vezyrus cum exercitu numerosissimo et omni re bellica instructissimo, versus Pannoniam et Austriam movit. Numerabantur in hoc exercitu octuaginta millia Janizerorum veteranae in Candia, et tot bellis diu exercitatae, pedestris robustissimae militiae. Aderat cum 60 millibus Scytharum Krimensium Hanus, adfuere Valachiae, Moldaviae, Transsylvanae, Vasallorum: auxiliares et rebellium Hungarorum cum Tekiellio copiae, reliquum ex Spachiorum Equitatus Turcici legionibus confertissimis, et ex Aulico Praefectorum Provinciarum, qui apud eos Passae vocantur, satis frequenti et bellis idoneo Comitatu constabat, ita ut totus exercitus bis centena millia armatorum constitueret. Vehebantur quoque quingentae machinae bellicae bubalis grandioribus, cameli, muli asini, Annona castrensi onustissimi ibant sine numero, pyrii pulveris, globorum missilium et ignivomorum bellicique armamentarii prodigiosa copia, fidem prope excedentibus Turcarum et Provincialium subvectionibus, castra vastissima sequebatur. Ita Vezyrus portentosis copiis tumens, Comaro Posonia et aliis Caesareanis in Hungaria munitionibus omissis totus ad obsidendam Viennam Austriae ferebatur, cui licet ominosus ad Strigonium ex fortuito incendio casus evenerit, nihil malis auguriis inauspicatum, nihil impervium, nihil vesana ingluvie non devoratum extreme concupita Vienna fecerat. Accesserant ad id mandata quoque Turcarum Imperatoris, quem Adrianopoli tum degentem Tekiellius et Zrinius perduellum ferocissimi literis missis stimularant, ut prae aliis Viennae obsidium accelerari imperaret, spondentes eam tantarum virium oppugnationi ferendae non suffecturam. Maturante igitur Vezyro, quod avebat et quae iussa Imperatoris urgebant, Caesareanis postquam ad Petemel Heribergio et Heslingero Ordinum ductoribus sexcentis legionariis amissis infeliciter pugnasset, resistere amplius et in tantam voraginem praecipitari non ausis, Caesar Leopoldus cum augusta consorte et domo sua Lincium se contulit relicto ad Viennae defensionem cum valida praesidiariorum manu, viro rei bellicae gloria claro, comite Starembergo rerumque successu, ulteriori Divinae providentiae et misericordiae commisso. Ergo quidquid in citeriori Danubiae ripa austriacae ditionis fuerat, igni ferroque per Scythicam et Turcicam rabiem consumptum, interempti vel in captivitate ducti, qui se in latiora non receperunt, caedibus et incendiis Viennam usque continuatis, donec ad eius suburbia, quorum iam per subiectos a Caesareanis ignes pars magna arserat, Vezyrus cum universo exercitu, die 19. Julii contendisset. Nec diu mo-

ratus, exustis reliquis templis; palatiis hortis vere augustalibus, ad circumvallandam *) Urbem, ad excitandas munitiones, tormentorum suggestus, operibus adhibitis, oppugnationem eius quantocius adoriri et ex ingentibus machinis bellicis moenia quaterere coeperat. Fulminibus hisce tormentariis perpetuo detonantibus adiunxerat quoque ignes pyrobolares et horrenda missilia, quorum vi ignivoma ex alto decedente Domus Viennensium concutiebantur simul et incendebantur, cum interim ianizeri, numero et impetu maximo externas urbis munitiones subirent et quamvis fortiter a defensoribus, et non una clade reiecti cruentas aggressiones continuarent, nihil moti tot caesorum capitibus per valla et munimenta, in summitate hastarum per obsessos suffixis, donec munitionibus illis, extra prominentibus, per summam vim et cadaverum struem potirentur. Ad pontem quoque Danubii praecipuum, subter quem tot alveis divisus delabitur, confligere saepius acriter cum Turcis Caesareani, ne in eorum potestatem veniret, cumque pontis illius defensio, caesis toties Turcis, cruentum identidem negotium facesseroet, admotis tandem ignibus Caesareani eum sustulere. Penetraverat iam in Austriam praeter Joannem Tetroin, Succamerarium Dorpatensem, cum tribus millibus nostrorum, in partem Caesaream ab eo conscriptis, Hieronymus quoque Comes Lubomirscius, cum selecta militiae Poloniae manu, mox copiis et castris Austriacorum, quibus Carolus, Dux Lotharingiae, cum militari potestate praecerat, coniunctus et ab eo rebus gerendis adhibitus, ob animi heroici magnitudinem et ob virtutis bellicae data saepius experimenta, inter praecipuos aestimari meruit. Hic ille rerum miserrima *) in Austria contemplatus, exercitusque Germanicos, quod immanem illam Turcarum potestatem frangeret, obsessamque et extreme periclitantem Viennam levaret, nihil tale ausuros videns, stimulatus a Duce Lotharingio ipseque calamitosis propeque conclamatis rei Christianae in illa fatali necessitate rebus compatiens, ferventissimis litteris suppliciter exorare Serenissimum Joannem, Poloniae regem, et obtestari non destitit, lachrymis non verbis id agens, ut augustum opus foederatorum armorum quod in se receperat, quanto citius maturaret, veniretque subsidio omni spe evolutis et post Deum in illo solo avidissima exspectatione, et spe tota defixis. Poscebat ille et calentissime urgebat crebris Nuntiis et litteris Imperator Leopoldus, gemitu Viennae et sorte miserabili motus, id unum Serenissimo Joanne per literas postulante, ut obsidium illud Viennenses saltem in alterum mensem constantissime tolerarent, adfuturum se brevi et subsidia laturum haud dubie promittens. Jam enim die 18. Julii Varsavia profectus votisque in Claromonte Cze-

Vezyrus cum
universo
Turcarum
Esercitu Vi-
ennam obsi-
det et mox
oppugnat.

Caesar Leo-
poldus fer-
ventissimis
litteris Sero-
nissimum
Joannem Re-
gem ad opem
Viennensibus
ferendam
sollicitat.

stochoviensi ad Thaumaturgam imaginem et aram Deiparae Virginis Mariae suppliciter redditis, Divinoque per eam implorato suffragio Cracoviam advenerat, exercitu quoque a Trębowla et confiniis Podoliae versus Silesiam magnis itineribus properante. Confluebant quoque huc ad eum viri Senatorii et Proceres Regni, adeo meritorii coram Deo et pulcherrimi operis coram hominibus occasione Regiisque literis ac promissis ad societatem armorum invitati, quin et cohortes equestres et pedestres aere proprio conscriptas Regio Exercitui iungebant: praeclarum exemplum Joannis Malachovii, Episcopi Cracoviensis, qui hastatorum militum ala et quingentis peditibus copias Regis auxerat Madaleno Cuiaviansi, Dąbscio Plocensi, Opalinio Culmensi, Vituicio Luceoriensi in Cathedrali Basilica Cracoviensi, a Nuntio Apostolico, Palavicino accepta, Rex partem exercitus, cum Nicolao Sieniauio Campi ductore ea parte, qua Bielsco, oppidum Silesiae, Polonis finibus adiacet, praecedere iussit. Ipse opem dexteræ Excelsi, ad busta et altaria Deorum dum adhuc implorat, etiam D. Joannis Cantii, Patriarchæ nostri cum Regia consorte et prole sua celebre sepulchrum Peraugustanumque Collegii maioris Domum adiit. Atque hic in ipso vestibulo ad imaginem dolorosæ Matris Dei, coram qua B. Cantium orasse constans traditio est, a Rectore Universitatis, Jacobo Baltazarowicz, profunda veneratione salutatus, dato responso per Joannem Gniński, Procancellarium Regni, ad interiora Collegii Maioris cum toto illo splendidissimo Comitatu descendit, recordatusque grandævi⁶⁾ seniculi, Alberti Dąbrowski, S. Th. Doctoris, qui paralysi tactus occurrere gratissimo Principi non poterat, visitare eum cum Regia coniuge sua in laribus propriis dignatus, benedici sibi ab illo ad res in bello prospere gerendas petiit, in bibliotheca deinde Universitatis nonnihil moratus communique caenaculo Domus maioris viro, toti Universitati humanissime valedixit.

15. Augusti Aderat mox profectio electa dies festo Assumptæ ipsa die B. in Caelum Deiparae Virginis celebris ac ideo triumphalis M. V. in Coelum assumptæ in Silesiam proficiscitur. quod Caelitus destinabatur ad Viennam operi auspicata, qua die Rex in suburbano PP. de monte Carmelo Arcuensi templo coram miraculosa Divinae matris, quæ ibi religiose colitur imagine, humiliter prostratus, tauris illius, ex qua mille clypei pendent et omnis armatura fortium, Virginis nimirum Sanctissimæ opem, contra vim portæ Othomanicæ, ductis ex imo piis suspiriis, cum implorasset comitante Regina, ut abeunti valediceret, versus Tarnomontium in Silesiam profectus est. Occurrit hic illi nomine Caesaris Leopoldi Caraffa cum digna hoc⁷⁾ principe veneratione et praeliminari salutatione nuntiavitque quomodo Generalis ut

Serenissimus
Joannes Cra-
covi-
am
venit.

Solennem
benedictio-
nem a Nuntio
Apostolico
accepit.

Sepulchrum
B. Joannis
Cantii et
Collegium
maius visi-
tat.

vocant assultus circa oppugnationem Viennae Vezyro nuper cum Turcis successerit. Decreverat ille, cum iam ad vicina Urbis propugnacula quae a palorum munitione pallisadas vocant, per repetitos saepe impetus quamvis cum sanguinolenta, strage Turcarum ianizeri penetrassent, extremo tandem conatu Urbem adoriri imperavitque, ut ad hanc generalis oppugnationis aggressionem, cum ianizeris totum militiae Turcicae robur paratum foret. Decretoria ergo illa die, dato signo, cum horrendo tormentorum boatu et incondito oppugnantium clamore densatis ianizerorum agminibus, Urbem trifariam aggressus; quidquid extremi furoris, vesani caecique prope impetus adhiberi potuit, in obsessos urgebat, illis quoque cum Divino auxilio, summa fortitudine et vi infracta resistentibus et iam in ipsis fossis ianizeros trucidantibus, quorum saeva obstinatio licet cum caede ingente instante tamen Vezyro millies ex adversa reiecta iterum millies redibat furibunda: et quasi uno iam illo haustu rictuque immani Urbem illam non amplius risendam absorptura. Sed Dominus Exercituum confortabat manus et vires, Urbem cum Starembergo defendentium admirando cordatissimi pectoris spiritu et constanti hostium repulso: nec successit atrox illa rabies quamvis ad summum comissa et ad aliquot horas producta furente et diris agitato Vezyro: qui cum ianizeros immensa strage cadentes nec tamen ad moenia Urbis, quod inhiabant, evadentes videret, receptui tandem canere iussit. Atque sic⁸) Passis aliquot lethaliter sauciatis plurimis Officialibus Turcicis interemptis 18 millibus ianizerorum amissis, cum turpi dedecore reiectus, ut in barbaro fastu, vulnus cordis insanabile operiret, infestare obsessos non cessavit cumque ianizerorum miserabili illa trucidatione non moveretur conqueri eos per literas apud Turcarum imperatorem de immanissima sui illa lanigena adegit. Laeta haec sed tamen suspecta et forte in manus auctae, quae sibi Caraffa praeferebat Rex prudens et talium guarus ut audivit, Deo quidem gratias egit sed potentiam Turcicam et Viennensium angustias considerans maturare subsidia statuit ac proinde Stanislao Jablonowio, Palatino Russiae, Duci Exercituum, gravioris armaturae militia commissa ipse eum expedita loricatorum velutumque manu Srenissimo filio, Principe Jacobo, lateri suo ubique adhaerente per Ratisboniam et alia Silesiae loca, faustis populorum appreciationibus ubique cum comitantibus, festinus abiit. Sequebatur eum motis cum exercitu castris Jablonovius incolis Silesiae ex mandato Caesaris annonam omnis generis et commeatus varios abunde suppeditantibus, quin et ultro offerentibus, dispositis etiam circa viarum tractus, quibus miles Polonus incedebat, feni, avenae grandibus cu-

Vezyrus generalis oppugnatione Viennam aggreditur

Generalis haec oppugnatione ob Viennensium invictam fortitudinem, male illi successit.

Serenissimus
Joannes Hieronymum
Comitem Lubomirscium
in Moravia
obvium habet.

mulis, rerumque victualium copiosis praeparamentis, ut quod necessitate extorquente sollicitè quaesivissent, sine cura libere propinatum haberent. Non defuere quoque bellicoso Principi et eius Exercitui laeta Caelitus anguria nunc irrite splendida et insolita, horis antemeridianis apparente ac velut iam triumphaturum cum Rege suo Exercitum coronante: nunc Aquila candida, quae vetus et auspicatum Poloniae insigne est toto biduo copias militares circumvolante, Ductu hoc coelesti et faustis ominibus Rex e finibus Silesiae in Moraviam delatus circa Olomucium sedem eius civitatem cultam et elegantem Hieronymum Comitem Lubomirscium obvium sibi habuit, per geminatas a Caesare literas accelerari subsidia, Viennae laboranti enixe postulante, quod Rex ipse sponte urgebat, summo honore et plausu Olomucii exceptus sed absque mora ad fines Austriae deproperans.

Praeluserat interim desideratissimo eius adventui felix et gloriosus Caroli Lotharingiae Ducis cum Scythis et Turcis non longe a fontibus Danubii conflictus, in quo Hieronymus quoque Lubomirscii Polonaeque militiae virtus bello spectatissima enituit. Cum enim Lotharingo ad Stulperatum agenti per exploratores nuntiatum fuisset, Turcas et Scythas ex castris Othomannicis transmissis Morava flumine prodiisse passimque in omnia ut Exercitui Caesareano incommodarent, ferro et igni saevise, vicos et oppida succendere palabundosque per circumiacentia loca grassari, quod et ipsi horrendi ignes longe lateque fumantes prodebant, illico in antecessum, ut vires hostium indagaret, Lubomirscium cum Equitatu Polono praemisit: ipse mox cum cohortibus germanicis subsecutus. Promptus ad id Lubomirscius et in occasionem egregii meriti erectus turmis quoque desultoriis secum procedere iussis, ut hostem caute observaret e vicinis cum prominentioribus locis appropinquantem contemplatus, cum maiori quam sperabatur numero adventantem videret, cumque et ex captivo Scytha 8 millia Turcarum, 10 vero Scytharum millia adesse, Tekicellium quoque, cui ad ripam Danubii iniunctum fuerat, brevi cum Hungaris rebellibus adfuturum, rescivisset, quamvis hosti animose recurrens, paratum tamen ad pugnam velitationibus tantisper distinere statuit, donec Lotharingus cum Germanicae militiae robore superveniret. Ergo Lotharingus ut advenit, sylvam imprimis monti vicino supereminentem explorare mandavit. Ne forte insidias hostium occleretur, in qua secura omnia, ut relatum est, aliquot turmas militum, ad eam insidendam pro omni eventu et ut hostium strategemata praeveniret, destinavit. Ipse acie instructa Lubomirscio cum Polonis, ipsam aciei frontem tenente, hostem invocata ope Coelesti aggressus, acre cum eo certamen iniit. Primus Tur-

carum impetus valido iussu in Lubomirscium et Polonos irruens fortiterque ab eis exceptus arcabuseris aliquot caesis ordines eorum nonnihil turbaverat. Scythae in dextrum eorum, cui Lotharingus praeerat, illati, cognito, quod sylvam proximam Germani insedissent, timentes, ne eorum insidiis peterentur, moxque ex machinis bellicis explosione in eos directa territi nullo opere notabili edito, eodem quo incurrerant impetu, retrocedere coeperunt. Turcarum vis acrior et cum Polonis conflictus maior fervebat durabatque obstinatius utrisque pro victoria connitentibus, quod ut advertit Lotharingus iam pulsus et aufugientibus Scythis liberior, ut militiae Polonae succurreret, levum cornu cum suis circumvectus contra Turcas acerrime institit, Polonis quoque lancearum vi in confertissimos cuspidatim, densoque iactu conversa, late eos sternentibus, sensim tandem motam loco praefractam eorum contumaciam, sed identidem rursus in aciem provolantem, ad extremum desperato successu, in turpem fugam effundi adegit. Tum vero acies illa Turcarum in praeceps acta, germanis et Polonis subsequentibus, caedi cruentae patuit, cadentibus passim Turcis, quorum mille prope in hac acie cecidisse ferebatur longaque plures occubissent, nisi eos pernicitas equitum⁹⁾ gladiis confodientium et ad ripam usque Danubii persequentium eripuisset. Hauserat quoque Danubius plurimos, qui ob magnitudinem consternationis in eius profundum praecipiter ibant. Alii vero nudi, ad vicinam eiusdem fluminis insulam enatabant, armis et spoliis opimae insequentium praedae relictis crepta Turcis in hoc conflictu 19. vexilla, quae Lubomirscius Duci Lotharingo remisit, Passa Agriensis duobus equis amissis aegre tertio servatus est: quod Divinae gratiae insigne beneficium et praeclarum Virtutis bellicae experimentum. fortissimi Lubomirscii et nominis Poloni gloriam auxit, laetaque in futurum triumphaturo ad Viennam Principi nostro auspicia dedit, qui cum iam Austriae fines attigisset, prospera haec ad maiorem festinationis stimulum vertit. Exceperet hic cum venerabundo occurso Carolus Dux Lotharingiae, Saxo Elector Marchiobadensis Valdecus et alii militiae germanicae Principes, quos Rex optimus humanissime complexus miraque benevolentia prosecutus consilio interim bellico ob absentiam Ducis Jablonovii dilato, dapibus quoque Regiis ad mensam hylarem dignatus est, omnibus ei supremum utriusque exercitus regimen deferentibus et ad iussa eius regalia prompte exequenda paratis. Instabat iam Danubii traiectus, de quo facta deliberatione Rex constituit, ut eum non Kremscii sed Tulnae, tractu quidem difficiliore sed viciniore traiceret. Per pontem itaque ad id rubente Caesare, super scillas navigatorias paratum, exercitu cum machinis bellicis et

29. Augusti
Carolus Dux
Lotharingiae
cum Hieronymo Lubomirscio Turcas et Scythas forti conflictu vincit.

Serenissimo Joanni, Caesareae militiae Principes in Austria occurrunt.

Danubium ad Tulnam cum exercitu Rex traiecit.

impedimentis castrensibus, quod tridui moram absumpsit, feliciter transmissis hic in latepatis Danubio adiacentibus campis utriusque exercitus acies a Rege et Ductoribus germanicis iuxta rei militaris exquisitam peritiam disposita, Ordines suos visendo sane spectaculo explicuit. Quadraginta millibus armatorum exercitus Caesareus constabat, tormentis bellicis et apparatu militari satis instructus; Rex in exercitu suo 20 millia Polonicarum copiarum numerabat, cum miles ex novis delectibus conscriptus expediri celerius non posset ac proinde tardius se castris Regiis coniungeret; Lithuanis quoque ob remotissimos viarum tractus adesse in tempore non valentibus et vix post conflictum Viennensem in Ungariam eluctatis. Recensito exercitu et iuxta consilium bellicum ad iter per montana accincto advenit Nomine Summi Pontificis Marcus de Aviano Capucinus austeritate et sanctionibus vitae senex venerabilis, ut ad maturanda Viennae laboranti subsidia Regem et exercitum stimularet, sed postquam Regem ipsum id sollicite agere urgereque serio advertit, felices armorum progressus et spem victoriae sancte et prope verbis Prophetis precatus, Apostolicam benedictionem universo Exercitui impertit, qua compunctis ad devotos affectus et pias lacrymas cordibus, religiose ut par erat suscepto, ad Noricas Alpes, quas Accolae montes Caesios appellant, uterque exercitus 12 Septembris processit. Hic triduo prope per praerupta illa, aspera et confragosa dumetisque sylvestribus horrida, per concisas valles et rursus per fastigia in praecipua prominentia, per desertas vineas et mapalia agrestium exusta, nemine ex locorum gnaris comparent, caeco et invio tractu extremoque nisu laboratum. Quibus in locis si Vezyro mens non laeva fuisset, aliquot millibus ianizerorum inter praerupta illa collocatis iterque difficillimum obsidentibus, haud dubie exercitus noster in summo discrimine fuisset Viennaeque vix ad quinque dies ferendae oppugnationi suffectura tempestivo succursu caruisset. Sed quem Dominus in manus Christianorum tradere decreverat, mente superba et salubre consilium eripuit, cum Regem Polonum adesse persuaderi sibi nullatenus pateretur et si adesset, immani potentia elatus despectui haberet. Die tandem Dominico 12. Septembris in summitatibus montium exercitus noster Viennae et Turcis visendus apparuit, Vezyro tum demum stupente et quod Poloni sancitam pacem violaverunt conquerente; ut tamen ingenti spe omnia devoraverat, simul et urbis oppugnationem instare et cum exercitu Christianorum confligere statuit. Fastum hunc mox consecuta iussa imperiosa iniunctumque ab eo parti ianizerorum, ut Urbem valide aggrediretur machinisque bellicis impeteret. Porro exercitui Polono et Caesareo robur aliud

Marcus de Aviano Capucinus Nomine Summi Pontificis exercitui benedicit.

Exercitus per montana et praerupta Viennam versus aegre eluctatur.

Die 12. Septembris Rex cum exercitu in conspectu Viennae et Turcarum apparet.

ianizerorum et Equitatus Turcici ingentes copias obiecit, ipse aciem instruens minacique et truculento vultu omnibus instans et ante victoriam vix non canens triumphum. At Rex Joannes sacris Christianorum ritibus exercitu promunito postquam hastatas, loricatas, desultorias pedestresque cohortes et legiones cum Jablonovio et Sieniavio Ducibus pro loci et rei gerendae opportunitate ex arte militari ordinasset Lotharingo quoque, Saxone Bauero, Valdeco, Laurburgico at alteris Germanicae militiae Ductoribus, Tribunis et legionum legatis iuxta morem solitum omnia ad imminem conflictum praeparantibus, exemplo potius Regali quam verbis longioribus pro Deo et tota Christianitate decertaturos cohortatus proelio hostem adoriri mandavit. Eminabat ipse ingens animi, equo generosissimo insidens et sub insigni Regis, quod illi praeferebatur, Martem ubique ciens et spirans, pacene quem Jacobus Poloniae Princeps filius a tanto Patre non degener, armis et indole summa visendus, tyrocinia Martis in opere adeo formidando, sine formidine auspicatur. Et licet praecipitia illa, desertarum vinearum circumductus villano opere aggeribus impedita, equis gravi offendiculo essent laxatosque ordines cohortium coarctarent, superavit tamen omnia cordata Virtus in aciem provolantium, qui ex declivis montium ianizeros primum, mox et confertissimi Equitatus Turcici legiones aggressi proelium Deo auspice iniere. Prima Alexandri Principis Poloniae hastatorum militum ala in Turcas ubi densissimi occurrerant, magno impetu invecta, hastas in barbaris pectoribus mersit, cadentibus strage maxima Turcis nihilominus acerrime resistantibus; quos aliae quoque subsecutae hastatorum turmae et alae, licet passim sternerent, sustinere vim loco non moti ferventissimumque proelium identidem restaurantes. Atrox hic et sanguinolenta caedes edita; multos et ex barbaris et ex nostrorum fortissimis hausit, in qua strenne pugnans gloriose occubuit Stanislaus Potocki Praefectus Haliciensis,¹⁰⁾ Andreae Potocki Cancellarii Cracoviensis filius, florentissima aetate in victimam Patriae datus, Caesus quoque hic est vir magni Nominis et animi Andreas Modrzewski, Curiae Regiae Thesaurarius et Zbąski, Succamerarius Lublinensis cum aliis ex hastata potissimum militia praeclearis heroibus, quorum sanguine et morte victoria haec constitit. Nec minor in Germanico exercitu Virtus, in quem Scythae primum magno impetu delati, sed robore infracto et densa glandium explosarum grandine excepti nulla edita notabili opera retrocessere. Atrocior et diuturnior cum Turcis pugna, statariam Germanorum aciem pernicitate equorum nunc effugiens, nunc redintegrans, Belgici sanguinis fortis et strenuus heros, Dux Croiae Arschotanus cum aliis Ger-

Proelium
Viennense
cum Turcis.

Stanislaus
Potocki,
Praefectus
Haliciensis
gloriose oc-
cumbit.
Andreas Mo-
drzewski,
Regiae Curi-
ae Thesaura-
rius et Zbą-
ski Succame-
rarius Lubli-
nensis ca-
dunt.

manorum pugnacissimis interiit. Cruentum hoc opus, praefractis et obstinatis utrinque animis duravit a hora octava¹¹⁾ antemeridiana usque ad horam quintam¹²⁾ pomeridianam: hinc Joanne Rege Polonis strenue pugnans etiam inter summa discrimina praesentia sua Regia animos addente et licet ephebus ad latus eius pila tormentaria ictus occubuerit, tanti casus periculo minime moto; illinc Vezyro omnia trucibus iussis perurgente et novas in aciem copias submittente, donec tandem Turcas sensim loco moveri, Virtutemque Christianorum Divinitus corroboratam amplius sustinere non posse advertens, dyrus omnes movere et extremis viribus furere coepit. Sed non profuit rabies illa et immanis ferocia, quidquam cum iam Turcae manifeste terga verterent et in fugam solutis Ordinibus agerentur agminibus confusi terrore consternati insequentium gladiis ruentes, quos Vezyrus campo restituere frustra aliquoties conatus rebus conclamatis spe omni evolutus, postquam coram duobus filiis calamitosae fortunae suae vicibus, cum lachrymis indoluisset, tandem et ipse turbine illo abreptus probrosis vestigiis sequi coactus est. Primi ex Turcarum exercitu, qui fugam inierant, Budensis et Agricensis Passae fuere, quos postea in poenam turpissimi dedecoris Vezyrus strangulari fecerat. Hanus quoque Krimensis nihil egregium in hoc conflictu praestitit. Vezyro suspectus, ceu Polonis addictior atque ut Scythas suos in aciem retroverteret, frustra ab eo sollicitatus.¹³⁾ Non eripuit tamen totam Vezyro mentem clades illa horrenda et miserabilis, qui ut ianizeris consulere, equos illis subministrari vacuos vel ut ab equitibus in equos reciperentur, captivos quoque interfici, pyrrium pulverem in castris defendi exitio irruentium iussit: reliquum exercitum, ut fugae beneficio servaret, equo pernici delatus abiit, persequentibus Polonis et Germanis eousque, donec eodem impetu in castra hostium immenso tractu extensa et ingenti praedae patentia, spoliolum avidissimi penetrarent.

Praeda hic vix dici possibilis, sed eorum qui ex Turcis in acie ceciderant, strages non adeo numerosa, cum vix 6 millia cecidisse vulgatum fuerit, reliquis tempestitiva fuga elapsis. Porro in castris Turcarum 100 millia tentorium numerata fuisse, haud ex vano ferebatur et quidem omnis generis armorum, vestium, ornamentorum pretiosa suppellectili instructissima auri, argenti gemmarum, annonae, pyrrii pulveris, equorum, mulorum, camelorum, sarcinarum innumerabilis copia, inter diripientium militum, calonum et lixarum manus distracta ceu in voraginem quandam cum descendisset, superfuit tamen etiam incolis Viennensibus, qui Urbe liberata egressi, quod e spoliis hostium tollerent, satis habuere. Vezyri tentorium ab eius cubiculario Polonis

Turcarum
ingens exer-
citus a Chri-
stianis pro-
fligatus, re-
lictis castris,
ex acie fugit

Vezyrus cla-
di suorum
coram filiis
illachryma-
tur.

Castra Tur-
carum diri-
piuntur.

ostensum, Serenissimo Joanni, inter manubias victoriae cessit, satis amplum, sericeo et phrygio opere elaboratum, in quo caenacula, porticus, ambulacra, balnea, horti, strutiones, phytaci et alia voluptuaria obiecta, ad luxum et stuporem inventa fuere, tormenta vero bellica, quae Vezyrus in castris praegrandia et numerosa reliquerat, in partem Imperatoris omnia concessere.

Dies haec tantae et tam inauditae victoriae successu celebris iisdem plane horis, quibus apud Viennam prospere pugnatum est, Serenissimam Mariam Casimiram, Reginam Poloniae devotae supplicationi Cracoviae intentam vidit. Sollicita quippe, quod, dum exercitus noster inter montana circa Viennam luctatur, nullus ex castris Regiis per aliquot dies Nuntius compareret, Regemque maritum in aliquo gravi discrimine versari suspicata, toto cordis affectu opem Caelestem quam maxime implorandam curavit publicamque supplicationem ex Cathedrali basilica Cracoviensi ad Ecclesiam Archipresbyteralem Deiparae Virginis, in circulo Cracoviensi per Joannem Małachowium, Episcopum Cracoviensem, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum processionaliter deferentem, magno Cleri et populi concursu institui fecit; cui aderat et ipsa cum Serenissima prole, aderat et Palavicini, Nuntius Apostolicus et numerosi illustrium virorum comitatus, nec irrita ferventissimae pietatis eventu, cum eodem ipso tempore exercitus Christianorum formidabilem illam Turcarum potentiam, in ipsis Viennae oculis, memorabili victoria profligasset.

At Vezyrus ut Polonas et Germanicas manus securius effugeret, totam eam noctem in continuanda mutato habitu fuga absumpsit iterque novem milliarium festinatis passibus confecit; cuius vexillum praetorianum coloribus vividis, quod ab Imperatore Turcarum in Signum supremi armorum regiminis, ritu machometico acceperat, Arabicis literis intertextum, Serenissimus Joannes Innocentio XI. Pontifici Maximo in memoriam tantae victoriae Romam ex castris misit, redditum Pontifici per Joannem Casimirum Denhoff, Abbatem Puraetumbae, nunc S. R. E. Cardinalem atque in Basilica Vaticana, loco spectatissimo, in simbolium perennaturi Divini in hac victoria beneficii, a Summo Pontifice reponi, collocarique iussum. Die insequenti, quae fuit tertia decima Septembris, Rex Viennam ingressus obvium sibi Ernestum Comitem Staremburgum, qui Urbi a Caesare Praefectus fuerat obsidiumque illud fortissime tulerat et vicerat, cum festivis populi acclamationibus, habuit solennesque gratias in primario D. Stephani templo, prostratus ante faciem Domini, altissimas ipsius maiestati gratias egit, a Staremburgo humiliter invitatus cum Electore Bavaro, mensae illius deim

Solennis Processio et supplicatio Cracoviae eodem die et isdem horis, quibus victoria ad Viennam ex Turcis est obtenta.

Vexillum praetorianum Vezyri Summo Pontifici a Rege Poloniae missum.

Serenissimus Joannes Rex Viennam ingreditur solennesque Domino Exercituum gratias agit.

accumbere dignatus est, gratulatus viro fortissimo Virtutem et felicitatem illam, qua illi datum fuerat, Urbem Caesari et toti Christianitati in extremo discrimine positam servare et de immanissimo hoste triumphare. Contemplatus hic Rex Starembergo omnia monstrante, horribiles Viennae ruinas, moenia concussa et hiantia, turres prostratas, templorum deiecta fastigia, munimenta Urbis externa et interna, cuniculis subterraneis ¹⁴⁾ lacerata. palatium Caesaris quassatum, omnia prope loco mota et miserabili facie altum dolorem provocantia tandem sub vesperam ad Castra rediit. Sed in iis Exercitui fatigata, molestissima omnia propter intolerabilem ¹⁵⁾ ex cadaveribus hominum et morticiniis pecudum fetorem, propter pabuli ab hoste consumpti detritique inopiam, cum nonnisi folia quercuum alendis equis superessent, propter incendia ex pirio pulvere ab hoste in castris defosso, crebro erumpentia, morbis quoque inter milites sensim invalescentibus, cum botros vini recentes sedandae fami sitique inter vineas avide colligerent, haustuque deinceps aquae turbidae lethalibus alvi profluviis occasionem darent. Inter haec Caesarem Leopoldum adventare nuntiatur, qui ut Regi Polono gratificaretur, tantumque hospitem ex merito et dignitate maiestatis exciperet, ad praestanda mutuae humanitatis officia properavit. Constiterant in subiecta camporum planitie Polonae et Germanae instructae acies, duorum Europae potentissimorum Monarcharum spectaturae, in quo ¹⁶⁾ conspectu Caesar et Rex dextris ad invicem datis et in amicis complexus ruentes, hilari utrimque vultu animorum gaudia testati sunt. Caesar quidem victoriam illam post Deum auxiliari Regi Polono tribuens, Rex vero de praestita in subsidiis ferendis opera satis modeste locutus triumphales illas ex Othomanno laureas Caesari gratulatus est, mox Jacobus quoque, Poloniae Princeps, magno Patri assistens, Caesari venerationem detulit. Inde ad osculum manus Caesareae heroes Poloni accessere, nomina singulorum et dignitates Rege Caesari indicante. Visum deinceps Caesari instructas acies propius intueri ac potissimum hastatae militiae Polonae robur, quod illi mire placuit, vexillis honori Caesareo per alarum vexilliferos inclinatis. Quo peracto repetitisque mutuae benevolentiae officiis, Caesar et Rex campo digressi, consilia de prosequendo ulterius bello per ministros status agitanda, tempori et loco opportiori reservavere. Ita Vienna a die 14. Julii ad diem 17. Septembris a Vezyro obsessa, immensis viribus oppugnata, inter ruinas suas prope sepulta et nisi dextera Domini Virtutem fecisset, sub extremo ictu posita, e ruderibus suis caput extulit, vitales spiritus recepit ex altero iam obsidio Turcico ope Divina triumphans. Nam Solimanus, Turcarum Imperator gravis ille

Caesar Leopoldus et Rex Poloniae Joannes, mutuae salutationis humanissima sibi officia reddunt.

Christianis Principibus et formidandus A. D. 1529 arcta eam obsidione anxerat, contra cuius potentiam fortiter eam defendit Philippus Palatinus Regni, qui Urbi cum armorum potestate praeerat, leonemque illum rugientem ab hac offa diductis faucibus tantopere concupita spe sua frustratum recedere coegerat. Alterum quoque hoc obsidium sub Machomete IV. Turcarum Imperatore, Mustafae Vezyro, homini crudelissimo et ambitiosissimo, Caelestibus pro Leopoldo Caesare suffragantibus auxiliis non successit, qui amplius quam quadraginta millibus armatorum in eius oppugnatione amissis, 6 passis in acie-caesis, castris ingentibus turpiter relictis, Starembergo quoque, cum victrices Christianorum Aquilae Turcas in fugam agerent, eruptione facta ianizeris Urbis oppugnationem urgere iussis, partim interfectis, partim captis, obsessores fugante frendens, et Viennam relictam frustra respectans, immane quantum doluit: tandemque post geminam ad Strigonium cladem, ab Imperatore suo strangulari iussus, iusta Dei ultione, foede interiiit. Victoria hac per Orbem Christianum divulgata ubique solennes Deo immortalis gratiae actae et triumphalia instituta, quae Innocentius XI., Pontifex Maximus, incomparabili gaudio perfusus, cum summa celebritate Romae fieri mandavit. Venetiis quoque et per primarias Italiae urbes, per Germaniam, Hispaniam, Belgicasque Provincias triumphales ignes arsere et iucundissimi applausus personuere. Cracoviae quoque ut primum a Rege victore ad Reginam laetissimus hic advolavit nuntius, quam in templo Arenensi coram miraculosa Deiparae Virginis imagine devote orantem invenerat, egit illico tantis gaudiis exhilarata Regina cum Episcopo Cracoviensi, ut solennis gratiarum actio in Cathedrali basilica institueretur actumque id convocato Clero et innumera populi multitudine confluyente summa omnium laetitia, et tormentorum resonantium plausu, indicta deinceps per aliquot dies pro iis qui ad Viennam ex Christianis ceciderant, per exequias funebres suffragia, ut in iis animae illae heroicæ et in victimam pro tota Christianitate sponte oblatae sacrificiis et orationibus fidelium iuarentur.

Vienna liberata Vezyroque fuga quidem elapso, sed ad reparandas vires, facile reddituro,¹⁷⁾ unum supererat, persequendi hostis bellicque continuandi, arduum sane negotium, praesertim cum morbi castrenses crebri et periculosi in dies magis auferentur plurimique ex Germanis et Polonis disenteriae malo laborantes passim eodem conficerentur, non gregarii tantum et legionarii, verum Ductores quoque Ordinum, Tribuni et Centuriones, quos inter Zachorovius, Wilckovius, Strzalkovius et alii ex militia Polona praecipui decesserant. Motis nihilominus a Vienna castris Rex cum

Romae et per totam Christianitatem solennes triumphi.

Cracoviae solennis gratiarum actio et triumphalis laetitia instituta.

Exercitum Christianorum graves morbi infestant.

Imperator
Turcarum
Vezyro Budae
existenti
donaria mit-
tit.

Duce Lotharingo, etiam per haec obstantia bellum prosequi paratus Posonium versus cum processisset, multos in hac Urbe morbo lethali confectos vel animam prope agentes curationis vel sepulturae gratia relinquere coactus est; ipso etiam Nicolao Sieniavio Palatino Voßhyniae et exercituum Regni campiductore ex morbo, quo postea consumptus, lethalter hic decumbente. At Vezyro iras ultrices coquenti et varia Budae consilia agitanti et ab Imperatore Turcarum, ne post cladem Viennensem totus animo concideret, donaria missa fuere, vexillum nimirum, vestis pretiosa, clava Imperatoris ¹⁸⁾ et equus splendido apparatu ornatus simulque adhortatio data, ut Martem restitueret armaque damni et probri ¹⁹⁾ Viennensis ultricia in Christianos verteret. Addebant illi animum 30 millia Turcarum recens submissa, Adzigeri quoque Hanus Scytharum numerosas copias animosius in proelium cum Christianis ituras eidem offerens: ²⁰⁾ cum iam Vezyrus priorem Hanum, ob suspectam erga Turcas fidem et ad Viennam male pro iis navatam operam exautoratum Dominio Tauricae privasset. Tekiellius quoque tentata etsi non sincere, sed in speciem tantum per Serenissimum Joannem, Poloniae Regem, apud Caesarem Leopoldum conciliationis gratia, cum id per Absolonem, Nuntium suum dolose ageret ²¹⁾ et aliud intenderet, perfidiae suae et iurati in Caesarem odii tenax ad Turcas et Vezyrum transierat, cum eum novis augeri viribus et reparando bello sufficere posse advertisset. Porro exercitus noster cum Austriacis copiis dum hostem persequitur, tractu illo nimium famelico, quia per Turcas et Scythas funditus desolato, miserabilisque excidii tristissimis prope ruderibus consepulto, pabuli et annonae gravissimo defectu laborare coepit, cum promissa ab Austriacis prono Danubio victualium subsidia aegre submitterentur, etsi quid Vienna navigiis per Danubium defluentibus ad castra devenisset, id Germanis potius quam Polonis cederet, fremitu exercitus nostri et iusta indignatione, quod data fides auxiliaribus copiis in adeo longinquo et exotico solo non servaretur. Qua de re Serenissimus Joannes Rex non Imperatorem tantum, certiorum reddidit, sed a Romano quoque Pontifice, ut ii, qui nomine ipsius rei frumentariae et Commeatibus subvehendis praeerat, tanto malo succurrerent, datis Romae saepius literis postulavit. Inter has tamen angustias copiae militares dum coeptum iter continuant, multis oppidis exustis et templis profanatis in itinere occurrentibus, in uno eorum flammis semiusto desolatoque imago Deiparae Virginis Mariae a militibus nostris inventa Ducique Jablonovio oblata fuerat a barbaris confossa et male habita, in qua haec inscripta legebantur: „hac sub imagine Joannes victor ero“, quod quidem omni-

Imago Deiparae Virginis Mariae a militibus nostris inventa desolato cum memorabili inscriptione inventa.

bus mirabile visum, varias in animis spectantium coniecturas excitavit, sed nihil certi haberi in illa extrema desolatione potuit: imago tamen ob illam inscriptionem quasi Propheticam et insolitam religiosius habita et honorificentius servata est.

Per Danubii insulam Kuch dictam ad 20 milliaria protensam Rex exercitum ducens Jaurinum, natura et arte locum munificentissimum, consulto divertit a Vicepraefecto praesidii Caesarei et a Comite Esterchasio, Hungaricae militiae celebri Ductore summo plausu et honore exceptus Comarum deinceps sive Comaram arcem non minori munitionis fama insignem saepius a Turcis oppugnatam, sed nunquam expugnatam ac ob id intactae Virginis titulo gaudentem invisit, omnia prudenter et accurate contemplatus et quae usui militari proficua viderat, alto pectore observata recondens. Adauxerant mox copias eius Stephanus Czarneeki, Exercituum Regni Notarius et Josephus in Wiśnicz Lubomirski; Praefectus Sandomiriensis deductis hic cohortibus suis, omni apparatu bellico instructis, ab Electore quoque Brandeburgico, ex vi feudi mille ducenti milites submissi adfuerunt, habitum deinde cum Proceribus Germanis et Polonis consilium bellicum, ex cuius arcana deliberatione certisque de causis novarum arcium in aliud tempus oppugnatione dilata, versus Parcanum Strigoniumque, ceu fatis urgentibus copias et castra movere placuit, ubi Turcarum vis robusta, minus sperata neque exploratoribus cognita, dum nostros incautos et nimis securos reddit, subsecutae cladi funestam occasionem praebuit. Vezyrus enim recentibus copiarum supplementis et favore Imperatoris sui erectus, ut dedecus Viennense, aboleret,²²) Cara Mehmet Basam Budensem ad novam belli aleam tentandam cum exercitu expederat; qui ad vicina Strigonio Parcanoque loca progressus, id animoolvebat, ut cum Christianis aut proelio conflingeret aut saltem victores moraretur. Incidit in hunc die septima Octobris Rex ab exploratoribus male informatus multitudineque barbarorum, quam non speraverat, conspecta quamvis res ingentis periculi esset, retrocedere indignum ratus et iam ab hoste circumfusus, cum Turcis vehementissimo impetu in nostros pauciores incurrentibus proelium inevitabile iniit. Pugnatum hic fortiter et animose sed infeliciter: Turcis loci opportunitate, numero, ferocia praevaleantibus, qui cum in dextrum eorum Jablonovii maximo furore involassent, quamvis saepius repressi et submoti, fregere tandem inclinatum nostrorum aciem, caede militum et strage cruenta ac potissimum equitum desultoriorum, quorum in hoc conflictu prope duo millia cecidere. Occubuit hic Siemianovius et Calenscius ex hastatae militiae Centurionibus,

Rex cum
Turcis ad
Parcanum
in Hungaria
infelici proelio
configit.

Vladius Denhoff, Palatinus Pomeraniae caesus a Turcis fortiter occumbit.

Vladius quoque Denhoff, Palatinus Pomeraniae, heros fortissimus, globo sclopeti in pectore traiectus, cum iam semianimus ex acie subducitur, ex equo decidens, una cum famulo suo Gutovio, summa fide et constantia sibi adstante a Turcis supervenientibus obtruncatus, mortem gloriosam oppetiit,²³⁾ Rex cum Duce Jablonovio saepius aciem restituere conatus, cum rebus conclamatis nihil proficeret, campo tandem excedens salutem et maiestatem Regiam manifesto periculo aegre subduxit Turcis saeva rabie magis magisque instantibus quorum vis immanis, longe maiori clade in nostros desaeviusset, nisi nox incumbens infelicem illum diremisset conflictum. Nocte subsecuta gravis dolor et pudor percussos tam adverso casu milites nostros, altum ingemiscere fecit, manifestam ultionem Divinam agnoscentes, propter tot templa, per pabulatores nostros violata, sacramque Ecclesiasticam²⁴⁾ suppellectilem direptam, ex quibus multi corde compuncti pectoraque sua cum publicano poenitentes ut indignationem Divinam placarent, reatus conscientiae suae per confessionem peccatorum exigebant. Omnibus vero exinde patuit, quam res humanae lubricae sint et vicissitudini obnoxiae, quod Deus Exercituum sit victoriarum Dominus, quod eas tribuat auferatque ex iustissimo beneplacito suo, quodque permittat nuper felices momento cadere, ut conditionis humanae memores sub potenti manu ipsius humiliantur. Humiliati certe et contristati sed ad poenitentiam generosi militiae Polonae animi, dum secum vices suas reputant, in spes tamen meliores erecti, a Domino, qui erigit elisos, auxiliarem sibi manum et paternum post castigationem solatium non defuturum pollicentur, Vezyrus Budae per celeres Nuntios de hac suorum ex nostris victoria certior factus et inspectata gaudia sua vix capiens ad identidem, verane essent, quae nuntiabantur, ex adstantibus quaerens, re tandem comperta ab iis, qui proelio interfuerant, ad Bassam Budensem, cui 7 alios Bassas addiderat, etiam aulico suo Comitatu misso, illico mandata dedit, ut victoriam instanter prosequeretur omninoque ad pugnam Christianos iterum eliceret, vel si pugnam detrectarent, in castris eos adoriretur. Sed neque Regi et Exercitui nostro clades et vindicandae ignominiae animus deerant, praesertim cum res tormentaria, quae in priori conflictu defuerat, roburque peditatus cum Austriaco exercitu supervenisset. Quare Turcis nupera victoria clatis ac proelio iterum discernere aventibus die nona Octobris, invocatis de Coelo per sacrificia Christiana suffragiis, Rex cum instructa acie animose occurrit, Ordinibusque ad eum modum, quo ad Viennam usus fuerat, machinisque bellicis opportune inter legiones dispositis impetu barbarorum,²⁵⁾ nisu valido ad pugnam

Die nona
Octobris
Turcae iterum victoria memorabili vincuntur.

provolantium non minori pugnandi studio exceptus est. Primae hastatorum alae ingruentibus obiectae, tumidos et feroces iusultu non ferendo aggressae, resumptam a casu Virtutem formidabiliorem esse ut sentirent, magna strage edita, docuerunt. Iuvere deinceps lorica et omnes armatorum cohortes, pari animo in hostem effusae, tormentis bellicis continuo detonantibus et conglobatos discerpentibus, qui cum mordicus in aciem et caedes suas ruunt, tribus ferme horis atrocem illam scaenam prodixerunt. Superavit tandem divino adiuta brachio heroica Christianorum Virtus obstinatissimos et in stragem suam praecipites, dum barbari fortissimo nostrorum robore fracti victique et in fugam versi totis campis ad excidium suum effusi, ab insequentium gladiis cadentes, numerosis passim cadaveribus, loca vicina horrendum in modum complevisset, quibus etiam ille unicus, in ulteriorem Danubii ripam, qui superfuerat, elabendi modus maxime omnium exitialis fuit. Ponte enim totam multitudinem non sustinente ac mox disrupto omnes, qui per tabulatum eius pernicies ferebantur, Danubio hausti sunt, alii vero, qui ponte disrupto ad extremum²⁶⁾ interitum relictis fuere proiectis armis nudatisque corporibus, ut gladios et iacula nostrorum nando evaderent, Danubio se committebant, sed cum a Germanis Polonisque, qui ripam citeriorem obtinebant, destinatis globorum ictibus et e machinis bellicis peterentur, pars occisi, pars undis absorpti, quas foede cruentaverant, inter verticosa illa praecipitia miserabili spectaculo periire.

Quoniam vero Parcanum oppidum in citeriori Danubii ripa situm non procul aberat, quotquot ex infelici pugna fugientes Turcae eo se receperant, destituerant quidem exitium suum sed non effugerunt. Huc enim immissae peditum a Tribunis nostris et a Duce Lotharingo Germanicae legiones totis viribus oppido incubuere et licet ianizeri densa globorum explosione locum strenue defenderent, morarenturque validos agredientium insultus, prorupere tamen Germani Polonique victores ausu et numero maiori ferocius invecti, praedae avidi, submotisque caede cruenta ianizeris, album quamvis vexillum deditionis tesseram attollentibus,²⁸⁾ dum in retrocedentes consternatosque etiam Tribunorum suorum imperia implacabiles feruntur oppido sese vehementius infuderunt. Hic caedes, direptio nuperaeque cladis atrox vindicta a contineri nesciis et loco iam potitis, donec furor sanguine hostium et optimis spoliis exsatiatus²⁸⁾ resedisset. Ita probrum illud et damnum exercitus nostri, quod Turcae nudiustertius minus sperati et ab exploratoribus quantae potentiae fuerint,²⁹⁾ non plane investigati, permissione ad tempus Divina intulerant, excidio hic suo et cruore maximo expiarent. Victoria certe haec insignis et memoranda ac

Parcanum
a victore
Exercitu
Christianorum
captum
et direptum.

Viennensi hostium strage magis cruenta fuit. Nam ad Viennam hostis tempeſtiva fuga elapsus castra quidem et spolia longe maiora reliquit; sed in acie tanto numero non occubuit. At vero hic ex 36 vel, ut alii asserebant, ex 50 Turcarum millibus 15 in acie caesa, reliquum Danubio haustum, alii cum Parcano oppido consumpti, pauci trans Danubium evaserunt. Cara Mechet, Bassa Budensis, qui huic exercitui loco Vezyri praeerat, globo per utramque scapulam ictus, nando primum cymba deinde per Danubium, Budam se subduxit. Silistriae Bassa, qui inter 7 Vezyros imperii Turcici numerabatur, Bassa quoque Damasci cum aliis praefectis insignioribus capti et cum castrorum praeda ingenti in victoriam potestatem venere. Rex proinde cum toto Exercitu tanti beneficii divinitus collati gratas atque ut adversis infractus ita et prosperis non elatus, hymno Ambrosiano solenniter decantato humiles Patri misericordiarum et Deo totius consolationis gratias egit; ternoque machinarum bellicarum sonitu ob hanc gratiam Caelestem animorum gaudia testari ac tandem abominatum superstitionis³⁰) Machometicae delubrum vi tormentorum dirui et solo aequari iussit. Mox ut exercitus in ulteriorem Danubii ripam traduci posset, ponti reficiendo octo dies insumpti sunt, cum interim a Tekiellio iterum Legati submissi ad impetrandam apud Caesarem Regio interventu veniam supervenissent, qui cum Joanne Gniński, Procancellario Regni et aliis hac super re a Rege delegatis dum mutuo colloquuntur, simulatione et arte solita nihil certi proponentes, conditiones reconciliationis ambiguo sensu involventes ac tandem ut serio et aperte declararent, an Turcarum patrocinio renuntiare et ad Caesaris obsequium redire vellent, a nostris delegatis adacti, missus ad Tekiellium pro hac declaratione nuntius, tantisper in castris substitere, frementibus Germanis et flagrantissimum odium non dissimulantibus, ex quorum minaci Vultu et verbis in furias erumpentibus facile conici potuit, quam Tekiellio et rebellibus cum eo Hungaris funesta et atrocia omnia meditentur. At Vezyrus de infelici pugnae eventu et horribili suorum clade per cruentos Nuntios Budae edoctus adeoque vicini periculi metu exterritus frendens et prope amens, ceu iam poenis ultricibus, et Nemesi divina exagitaretur, Belgradum quantocius profugit, innocentis sanguinis per Austriam et Pannoniam tantopere profusi reus hinc arma Christianorum victicia, inde Turcarum Imperatoris diras metuens, saevus et immanis ipsisque Turcis exosus nec aliter a cruciatu animi, quo se ipsum laniabat, nisi fune illo, quo postea iussu Imperatoris sui strangulatus foede periit, liberandus. Ponte refecto uterque exercitus in ulteriorem Danubii ripam traductus, Strigonio

Legati iterum ad Regem a Tekiellio missi.

Vezyrus
Buda relicta
Belgradum
profugit.

vicinus constitit. Urbem hanc inter Budam et Novarium loco opportuno ad Danubium sitam antiquitate Archiepiscopali et Primaccali Ungariae saepe celebrem a Solimanno Turcarum Imperatore, primo captam ab Austriacis postea recuperatam, Turcis iterum deditam et ab iis hucusque possessam ex consilio bellico Rex oppugnare decreverat, opere quidem arduo, verum sub id tempus non impossibili, cum Turcae armis Christianorum victricibus perculsi, nec subsidium facile habituri ipsi sponte ex ea ad tutiora secederent, defendique eam posse diffiderent. Persuadebant id quoque Austriaci exercitus Primores, negotium oppugnationis pro sua mollitia deponentes, ut Poloni toties campestri proelio profligati vel sic aliquantum allevarentur. Quare Mareschalcus campi Starembergius peditum Germanorum legionibus huc admotis, montem S. Thomae arci oppositum primo sibi occupandum statuit, in quem reiectis valido impetu Turcis defensoribus cum evasisset, ex 29 grandioribus machinis, arcem quater exorsus, adhibitis etiam ignitis globorum granatorum missilibus irrequieta die nocteque tormentorum explosione grandem hiatum in arcis moenibus aperuit. Quo facto Turcae cum Praefecto exterriti cumque inaudivissent, Vezyrum Buda relicta Belgradum profugisse, et ob id subsidiorum destituti, Nuntio ex arcis moenibus noctu demisso captoque a Caesareanis et ad Regem, ut postulabat, deducto, in Nomen eius se deditioem facere velle hisce literis ex arabico idiomate in latinum translatum declararunt.

Strigonium
oppugnatur.

„Serenissimo ac Potentissimo Poloniarum Regi

„Post obsequia nostra humiliter delata.

„Mandato tuo, Rex, de tradendo Strigonio paremus ecce
 „ex unanimi Beglerbegum ac Agarum nostrorum consensu in
 „Nomen tuum toto Orbe celeberrimum portas illius reclu-
 „dendo. Nec posteriores requisitiones moramur, cum certa
 „nos ex verbo Regio maneat ratio salutis, cui in summam
 „confisi per exhibitorem praesentis scripti poscimus, ut tra-
 „dito fortatio cunctis cum omni habentia ac suppellectili sal-
 „vis ad suos redire liceat, sine ullo detrimento Imperatoris
 „nostri militiae. Quod idem ut locum tenens Generalis S. C. M.
 „tum et alii consilium belli cum pertinentes Proceres prae-
 „stent, prout melius suae³¹⁾ videbitur, humiliter supplicamus,
 „ut sic nobis ex incolumi hominum isthic existentium de-
 „ductione legitime excusaturis, apud Imperatorem nostrum
 „consulere valeamus.“

Subscriptio erat: „Aubekir, Bassa Aleppi, Praefectus Strigoniensis.“

Laetus hac denuntiatione Rex Nuntio comiter habito libenter id acceptavit, ut in nomen eius deditio ab obsessis

Strigonium
in Nomen
Regis Poloni
a Turcis
deditum.

fieret intoque consilio cum Lotharingo Duce et aliis Principibus effect, ut Turcae incolumes cum suppellectili sua post Urbem arcemque deditam dimitterentur. Delegat itaque altera die illucescente Nicolaum Złotnicki Posnaniensem, Stanislaum Morstin Zatoriensem Vexilliferos, ut nomine suo deditiōni interessent, Urbemque et arcem a Turcis reciperent eamque postea iurisdictioni Caesaris Leopoldi Austriacique praesidii Officialibus redderent, ipse equo insidens, Principum et Heroum militarium corona septus agmen exultantium spectavit. Exiere tria millia Turcarum, duo millia imbellis sexus et puerorum, facta quoque rerum suarum exportatione, quantum exportari poterant, agmen Praefecto claudente, qui fimbriam vestis Regiae submisit exosculatus, Budam petiit, Turcarum parte navigiis per Danubium devecta, parte itinere terrestri Equitum nostrorum ala securitatis gratia comitante deducta. Reliquerunt abeuntes 40 tormenta bellica, annonae et pirrii pulveris copiam abundantem ferendoque longius subsidio suffecissent, nisi recens nostrorum ad Parcanum victoria, quae in oculis eorum evenerat, horrendo spectaculo animum illis eripuisset, deditiōnemque accelerasset. Invisit deinde Rex die 28. Octobris arcem et Urbem Strigoniensem atque in primario arcis templo, quod D. Alberto Praesuli et martyri dicatum est, postquam a contaminatione Machometica ritu Christiano expiatum fuisset, sacrificio altaris interfuit Deoque victori sollemnem gratiarum actionem instituit.

Strigonio recepto Buda in omnium oculis versabatur, quae gesta immortalia Anni huius pulcherrimo opere coronasset, nisi autumnus pluviis ingruentibus aëreque ³²) corrupto ³³) graves Coeli iniuriae obstitissent, ipso iam tempore poscente, ut miles tot laboribus fatigatus, morbis languidus, itineribus confectus, vacatione obtenta, ad stativa hiberna recederet. Rex quidem ingenti animo Budae oppugnandae propositumolvebat et urgebat, sed cum post deditum Strigonium Elector Bavarus cum suis copiis, Ferdinandus quoque Dux Curlandiae et Staremburgius, Campi Mareschallus, ex castris abiisset, exercitu quoque Polono ad lares Patrios respiciente magna medimenta in tempestivo molimine ³⁴) agitare destitit. Designatis ergo hybernis, quae Exercitui Polono in ditionibus Cassoviae, Pressoviae, Barderoviae adiacentibus, Lithuanis vero versus Transsylvaniam constituta fuerant, exercitus noster in interna Ungariae Coelo pluvioso soloque ex inbribus uliginoso, inter morborum continuas luctas iter satis asperum et ineluctabile direxit, postquam Carolus quoque, Dux Lotharingiae, die quarta Novembris Regi valedixisset.

Nec vero discessus hic exercitus nostri ad stativa hi-

berna absque memorabili opere fuit. Dedit occasionem fortibus ausis praeclareque gestorum coronidi. Setinum oppidum, alias Stephanopolis dictum, in eo tractu viarum, quo exercitus remeabat positum, quod inexpugnatum relinqui non erat visum, cum longe maiora et difficiliora felici cursu victoriarum successissent. Huc itaque speculatum primo a Rege missus est Athanasius Miąceński Praefectus Krzepicensis, ut situm loci, praesidii robur, et munimentorum rationem recognosceret, quod egregie satis praestitit. Serenissimus deinde Jacobus, Poloniae Princeps, iussu bellicosi Patris, cum Martino Zamoyski, Palatino Lublinensi et cum Martino Kački, Castellano Leopoliensi ac Dunewaldio, insigni Tribuno Caesaris, fortiori manu oppidum propius sgressus, omnia plenius et accuratius observata, futurae oppugnationi adornavit. Oppidum hoc muro cum fossa et aliis militaribus operibus bene munitum, octingentorum ianizerorum et septem vexillorum Equitatus Turcici praesidio tenebatur, fiducia inde virium et spe defensionis non mutabatur, quin immo³⁵⁾ missis a Serenissimo Principe, qui deditioem persuaderent, arroganter et contumaciter restitit. Ergo cum nihil minus quam de spontanea deditioe cogitaret, adveniente Rege oppugnatione eius coepta, Dunewaldio moenia et munimenta oppidi tormentis bellicis concutiente, Virtute tandem nostrorum et Cosacorum strenua opera quamvis non sine strage militis nostri aliqua ita successit, ut Turcae consternati, elatis candidis vexillis in nomen regis Poloni deditioem obtulerint incolumitateque et exportatione rerum suarum obtenta, oppido excesserint, quod in nomen Regium Commissariis nostris ab hoste deditum, pro Caesare deinde Dunewaldus ab iis recepit. Itum est deinde ad loca exercitui nostro, ut in iis hiberuaret, destinata, in quibus copias nostras dura rebellium Hungarorum facies et saeva hostilitas excepit, quae legionibus nostris non tantum sponte quodpiam tribuere recusavit, sed advenientibus portas Urbium clausit, eruptiones in eos cruentas fecit, tormentis bellicis detonuit via, dolo furoreque implacabili omnia illis infensissima obiecit. Cum enim Tekiellius et alii rebellium Ungarorum antesignani, desperata apud Caesarem Leopoldum venia, quam interventione Serenissimi Poloniae Regis quaesierant, capita sua proscriptionis edicto damnari bonaque fisco addici ac percussoribus³⁶⁾ eorum praemia³⁷⁾ proponi advertissent, contumaces animos contra irreconciliabiles Caesaris iras gravius obfirmarunt maiorique pervicacia indurati et usque ad sanguinem resistere parati Germanis et Polonis opposuerunt. Prodierrat quippe nuper Caesaris edictum quo Nicolaus Zrinius, Stephanus Nadasdi, Christophorus Batiani, Petrus Frangipani, damnatorum olim

Setinum oppidum sive Stephanopolis a nostris et Cosacis oppugnatur et a Turcis in Nomen Regis Poloni deditur.

Ungari rebelles Polonos ad stativa hyberna non admittunt.

a Caesare et ultimo supplicio affectorum filii, nec non Georgius Illeschasius et Petrocius aliique complures proscripti fuere ac exinde in rabiem versi persuadere quoque aliis, ut indurarent animos Civitatumque portas clauderent nec minis nec suasionibus permovendi. Ita Cassovia, Koszyce alias, praevalidis munitioibus et praesidio trium millium armatorum confisa adveniēti Regi et exercitui nostro aditum negavit vimque hostilem opposuit, tormentis bellicis crebro in subeuntes explosis et equitatu ex Urbe immisso, qui nostros ferocius adoriretur, cuius oppugnationem iniquissimum Anni tempus frigoribus intensis cum impediret, rabida in furore suo relinqui debuit. Pressovia quoque, in qua Rex subsistere destinabat, simili oestro percita et in eos, qui speculatum venerant, e machinis bellicis detonans, apertam hostilitatem ostendit, qua tormentorum explosione nonnulli ex nostris propius sgressi, interempti sunt, inter quos cecidit hic Christophorus Modrzewski, Tribunus Haliciensis, vir bello acer et gestis militaribus de Patria bene meritus, qui cum fortiter quidem sed incautius Urbis moenibus adequitat, glande maiori ictus, gloriosam pro Deo et Patria mortem, quam per tot bellicas expeditiones illaeus quaesierat, in Ungaria invenit. Haec³⁸⁾ dispar fortuna Lithuanis ad Bardevum mordicus negato accessu restitit. Verum Sabenovia mitius caput inclinavit, Regis Poloni benignitate illecta. Comes quoque Humanaius Ungarum suum civiliter fidei Polonae commisit, Levoca etiam Polonis instantibus, in Caesaris partes concessit. Porro Kesmarkum, Tekielliani comitatus, haecreditaria ditio Lubomirsicii, Mareschalci, Curiae Regni vim metuens, in potestatem venit. Ita Poloni post annum obsequium Caesari praestitum, inter omnia periculosa positi, post hibernis stativis evoluti ab agrestibus cavernis et latibulis suis clam prodeuntibus et mox diffugientibus more latrocinantium varie exagitati, morbis, inedia, frigoribus ac tandem in Patria aurae mutatione affligendi, ne tamen instar fugientium adiiisse viderentur, 24 cohortibus ad Ungarum et totidem Lithuanicis ad Bardevum relictis, ut possessionem continuarent, Ungaria excessere.

Per haec tempora Andreas Potocki, Castellanus Cracoviensis, cui absentia Regis cura securitatis publicae commissa fuerat, Cameneco intentus, cum latus illud Regni 20 nonnisi cohortes, cum Sierakovio, vexillifero Befzensi tuerentur, Cosacis praesertim contra Turcas et Scythas commotis, multa egregie praestitit. Occasio certe rebus gerendis opportuna fuerat, cum illi Turcis infensi et victricibus Regni Poloni in Ungaria armis erecti, animos resumpsissent, iugumque barbarum excutere proposuissent, inito foedere

Christophorus Modrzewski, Tribunus Haliciensis ad Pressoviam interimitur.

Poloni Ungaria excedunt.

cum Valachis et iureiurando firmando pro Stephano Petri-
 cenko, Palatino Valachiae, nuper a Turcis exautorato contra
 Ducam ab iisdem Turcis Valachiae impositum. Oderant quo-
 que Cosaci ut et Valachi Ducam avarum, crudelem, rapa-
 cem, Stephanum vero civiliorem et tractabiliorem libenter
 sequebantur, quem et Potocius ipse eo reimponi, unde a
 Turcis motus exciderat, ex Regis et Reipublicae dignitate
 esse censebat. Adhaeserant Cosaci Kunicio ortu quidem no-
 bili Polono, sed diu apud eos versato, quem Rex diplomate
 suo Regio Ducem illis praefecerat et amplissimis promissis
 ad fortia quaeque agenda animaverat confluebantque ad eum
 non tantum cis Boristhenici sed etiam trans Borysthenici
 Cosaci fama et praeda illecti, frustra prohibente Samuylo-
 wiczo, qui Nomine magni Moschoviae Ducis Cosacorum
 militiae trans Borysthenem praererat. Ergo Niemierovia pri-
 mum gravem sibi Dorohinum Ducem Palatini vices gerentem
 per vim exturbant praedaque opima potiuntur, Międzybo-
 rzuum deinde et Barium tentant, sed machinis bellicis de-
 stituti recedere coguntur, Turcis interim silentibus et stu-
 pentibus Jasłouecio, Usiathino, Cortuono, Jagielnica profugis
 et tantum e Cameneco suo prospectantibus. Sed cum Po-
 doliae infusi passim Cosaci grassarentur in omnia et Tur-
 cas stringerent, Praefectus tandem Camenecensis ut aliquo
 modo par pari redderet, tria millia Budziacensium Scytharum
 in Volhyniam irrumpere fecit. Quod postquam inno-
 tuit Pötocio, cohortibus nostris eo prope missis barbaros
 ocus³⁹⁾ persequi iubet, quorum pars caesi, pars capti capti-
 vis plurimis relictis omnes in fugam acti dissipatique sunt.
 Budziacensibus igitur Scythis cum clade reiectis Adziegereij
 suadente Hani Krimensis absentia, qui necdum ex Ungaria
 praeda onustus redierat, Cosaci et Valachi Duce Kunicio
 Bialogrodensi et Theinenses Scytharum oras, igni et ferro
 vastandos ut aggredierentur consilium et foedus iniere. Ii
 tum motis a Soroka oppido castris ad Scythica illa per la-
 tepatentes tractus dispersa sordida mapalia, speleaque ritu
 barbaro extracta, unde lupi rapaces erumpunt, qui ditiones
 Polonas prope annuatim depraedantur, ut victimas Christia-
 norum vel mactent vel Constantinopoli venum exponant.
 Hic omnia superinfusis Cosacis et Valachis igni correpta
 ferroque excisa miserabile spectaculum, edidere, quale illi
 frequentius apud nos edere solent, domi suae experti, quam
 funestum sit, cum flammis omnia depascentibus, Illium ar-
 det vel cruentis caedibus madet. Trucidati sunt inter ro-
 gos illos ardentes barbari cum coniugibus et liberis ac man-
 cipiis suis strage numerosa et nimium horrenda haustique
 in ore gladii cecidere immanes illi Praedones, quibus nihil
 lubentius, quam per Russiae Provincias grassari gregesque

Cosaci et
 Valachi Du-
 ce Kunicio
 contra Tur-
 cas et Scy-
 thas arman-
 tur.

Budziacens-
 ses Schythae
 in Volhy-
 niam irrum-
 pentes fusi
 et reiecti.

Cosaci et
 Valachi Bia-
 logrodenses
 Scytharum
 oras igni
 ferroque de-
 populantur.

captivorum in Tauricam abigere. Atrocia haec et raro apud eos visa excivere tandem Turcas et Scythas, ut tantis caedibus occurrerent et in aciem prodirent. Cosacis quoque et Valachis, non illibenter proelium deposcentibus, cum praesertim hiems sacvissima iustaret, cunctaque altis nivibus usque ad genua decertantium compleret. Ergo die quarta Decembris ipso festo D. Barbarae Virginis et martyris ad acerrimi conflictus scaenam horribilem ventum. Nam quotquot erant in partibus illis spachi, sive Equites Turcici, ianizeri, et Scythae numero prope 30 millium in Cosacos et Valachos magno furore invecti, collatis signis aliquamdiu Marte dubio decertarunt, sed mox robur Cosacorum, fortissime pugnantium et ex adverso irruentium ad Tylgrotinum non sustinere, quorum vi et pugnandi constantia tota acie pulsus et in fugam acti atque in ea ob impedimenta caesi profligatique nimium cruenta strage, cadaveribus densissimis, ad 4 miliaria campos patentes constratos reliquerunt. Occubuere in hoc conflictu Praefectus Theginensis et alter Bialogrodensis, decem Mussae Scytharum capti, Chalibeius, qui 100 millia imperialium lytri pro se dimittendo offerebat, inter manus contententium trucidatus, reliqui turpi fuga elapsi, ad nuntiandam aliis adeo ingentem suorum cladem evasere.

Sanguinolenta haec caedes et raro in iis partibus visa, tanto mirabilior fuit, quod nullo ex Cosacis et Valachis amisso, hostium interitu maximo constiterit, barbaris ceu fulmine percussis, menteque prope emotis, cum domi suae tragicum opus hoc ipsi exhorrescerent, nec caperent ruinam suam inopinato excidio ceu subita voragine absorpti. Nuntiata haec Regi triumphalium eius gloriam et laetitiam auxerunt. Moschi quoque, dolosa cunctatione cum foederatorum inter Caesarem et Regem Poloniae contra Turcas armorum eventu aliquamdiu exspectassent, cumque per exploratores suos exercitui nostro ad Viennam tacite immistos, celebrem illam victoriam oculis lustrassent, licet inducias cum Turcis vapide pacti et quidem iniquis conditionibus, cum eis Boristhenicos Cosacos dominio eorum subiecerint, ad quos nihil iuris habebant, cum tamen induciarum nobiscum tempus hoc Anno efflueret, ad conductam hac super re mense Novembri commissionem Kadzini, loco opportuno in confiniis ad id delecto, Commissarios suos, nimirum Jacobum Odeszewski, Basilius Galiczyn, Joannem Trachiewicz, Gregorium Puskin, remisere. Misera rerum facies apud eos iam tum incipiebat atroxque intus lanigena, cum post Alexium Michaelis, magnum Moschoviae Ducem et post Theodorum filium eius ex occasione Joannis et Petri, Theodori filiorum, ex diversis quidem matrimoniis, sed ad ius domini

Proelium
Turcarum et
Scytharum
cum Cosacis
et Valachis.

Turcae et
Scythae a
Cosacis et
Valachis ma-
xima strage
profligantur.

Commissio
cum Moschis
Kadzini de-
signata et
mox coepta.

pari iure spectantium, turbulenta capita ansam arripuissent, pro alterutrius Principatu nimium zelandi et in contrarias partes, vastissimas illas Provincias scindendi, quod deinceps quam tragica et quam immania subsecuta sint, anni consequentes in apertum dedere. Ceterum ad commissionem Kadzinensem eo se animo venisse praeferebant, ceu in societatem armorum contra Turcas nobiscum ituri, forsitan sub hoc praetextu Provinciis illis inhiantes, quas postea per tractatus conclusos a Regno et M. D. Lithuaniae avulserunt, sed nihil memorabile contra Orientalia arma et potentiam Tauricae praestiterunt. Aderat interim tempus, ut infestis Ungariae et terris et animis contra Caesarem obstinatis, Rex valediceret, exspectante Patria, regnoque anxio, quod desideratissimi Principis tam diu praesentia careret, indignum et dolendum esse ratum, quod augustum illud, orbique dilectum caput, inter tot discrimina versaretur. Ergo ut primum innotuit Regem adventare et iam confiniis Poloniae appropinquare, Regia consors cum Aulico comitatu occurrit illi in oris Scepusiensibus, cum qua deinde Rex die 23. Decembris Cracoviam venit exceptusque in Cathedrali Basilica Cracoviensi ab Andrea Załuski, Episcopo Kiioviensi saluatorio oris disertissimi eloquio, post decantatam in conspectu Domini sollennem gratiarum actionis hymnum, in palatio Regali post tot belli incommoda coronatam tot victricibus laureis maiestatem reclinavit. Advolaverunt mox Cracoviam multi ex Senatu et ex Proceribus Regni ad salutandum Regem feliciter reducem, quos eadem comitate et admissionis gratia dignatus est, qua ante hanc memorabilem victoriam dignari consueverat, constanti Regalis animi modestia nihil fortunae vel bellicae fortitudini, omnia Deo, bonorum auctori humiliter tribuens. Sub id tempus percrebruerat fama de Obitu magni Herois, Nicolai Sieniawski, Exercituum Regni Campiductoris, Palatini Volhyniae, qui continuis expeditionibus bellicis et infirma valetudine fractus, post impensam sat gloriose contra Turcas rei Christianae operam,⁴⁰⁾ in aditu Patriae, nimirum in Urbe primaria Scepusiensi Lubownia dicta, diem vitae extremum clausit; cuius filio Rex virtutum Heroicarum Patris optimus aestimator, relictarum cohortium Tribuni militaris dignitatem contulit; Clavam vero Exercituum Regni Campiductoris ut Andreae Potocio, Castellano Cracoviensi differret, ingens meritorum eius gloria et impensus nuper ad Viennam cum filio sanguis effecit. Postulabat quoque eo tempore iusta Nemesis Divina, ut Mustafa, Magnus Turcarum Vezyrus, post Viennensem et Strigoniensem cladem, immanissimae crudelitatis poenas lueret. Origo Natalium eius in Albania, virorum fortium Matre fuerat, pugnacissimi animi genius, potissimum in expu-

Joannes Rex
ex Ungaria
redux Craco-
viam venit.

Nicolaus
Sieniawski,
exercituum
Regni Campi-
ductor in
Scepusiensi
tractu Lu-
bouniae mo-
ritur.

gnanda Candia enituit, vasta gerendorum capacitas et nimium audendi saeva cupido, licet ferum⁴¹⁾ et crudelem, plurimis tamen officiis publicis perfunctum, Vezyrum eum fecerat, vel ipsa feroci rabie, auctoritatem illi quamvis extortam, apud barbaros conciliante. Obsidium Viennae quod appetierit, doluit in extremis, quod illi probrum et exitium attulit. Exacerbaverat quippe Machometem, Turcarum Imperatorem non tantum geminata emissi exercitus strage, fastu quoque insolenti et nimia opum iactantia, cum absque impensis Imperatoris, gerendo cum Christianis bello sufficere se ex proprio peculio posse, Constantinopolim arrogantius scripsisset, idque illi funestum vitae exitum acceleravit. Nam Imperator missis Belgradum tristibus literis, obtorto per lictores collo, receptoque prius sigillo et vexillo, strangulari eum mandavit. Quod factum est, etiam sica in pectus adacta, qua transfixus ferro⁴²⁾ et laqueo periit, nomini Christiano infensissimus hostis ipso die sacratissimo Natalis Christi Domini, quia oportebat Anti-Christi emissarium minui, Christum autem crescere.

Mustafa,
Turcarum
Vezyrus Bel-
gradi iussu
Imperatoris
strangulatur
ipso die Na-
tali Christi
Domini.

Die 27. De-
cembris in
festo S. Jo-
annis Evan-
gelistae tri-
umphus Cra-
caviae.

Porro Cracoviae triumpho Regio die 27. Decembris S. Joannis Evangelistae festo et nomine gratissimo insignita, ab urbano magistratu delecta, Rex et Regina, magno Senatorum et aulicorum comitatu, ad basilicam Deiparae Virginis Mariae, in circulo Cracoviensi descendit sacrisque interfuit, occurrentibus ipsi et deducentibus victoriosissimum Principem Urbanarum tribuum cohortibus iuxta ordinem suum dispositis. E templo ad aedes Tucianas ex opposito praetorii divertens, ibidem dapsili mensae, urbano sumptu instructae, cum Regina assedit expectavitque nocturnum triumphale spectaculum, dignum sane tantarum maiestatum oculis et rerum gestarum magnificentia. Tria nimirum theatra in foro Cracoviensi excitata fuere, in quorum primo Serenissimi Regis statua Equestris cum evaginato gladio affabre facta visebatur, sub equi Regii calcaneo Turcis captivis foede iacentibus. In altero Serenissimi Jacobi, Poloniae Principis equestris itidem statua, cum Setini, eius auspiciis⁴³⁾ capti repraesentatione cernebatur. In tertio Vienna ab horribili Othomanico Dracone cincta et obsessa, luctuosam eius speciem referebat. Spectacula vero nocturna ab operibus pyrobolaribus coepta igneis missilibus in sublime provolantibus, literas Nominis⁴⁴⁾ Regii⁴⁵⁾ in aere artificiosissime exprimebant, tormentis undique detonantibus et frequentissimo populi concursu, licet dies illa et nox nimium pluviosa fuerit, Principi suo desideratissimo et victoriis applaudente. Verum mox tristitia laetis successere casusque funestus sincerissima gaudia inturbavit, cum disruptis ob nimiam nitrati pulveris copiam missilium granatorum segmentis sex

Ignium tri-
umphalium
spectacula.

Casus fune-
stus inter
nocturna
spectacula.

ad mortem ex spectatoribus⁴⁶⁾ vulnerati ac brevi defuncti, alii graviter mulctati fuere, segmento ferreo etiam in aedes, ex quibus Rex et Regina prospectabant, involante, muroque notabiliter laeso horrenda sui vestigia relinquire, quo casu commoti Principes, non exspectato ludicrorum fine animoque turbati, ad Palatium Regale discessere. Ita nihil in rebus humanis securum nec ullum inter mundi hilaria plenum gaudium, vicissitudine rerum et casuum, mortales admonente, ne properis nimium fidant, nec adversis extreme deiciantur. Triumphali hoc Anno etiam in Universitate nostra solennes actus non defuere, quorum primus die sexta Novembris responsione pro loco inter Clarissimos Juris Utrius Doctores Sebastiani Piskorski in Collegio Jure Consultorum, Professoris Archidiaconi SS. Omnium, viri praestantissimis animi dotibus et institutione Ducum Radivillorum celeberrimi, in conspectu magnorum et illustrium hospitem ac praecipue Serenissimi Alexandri, Poloniae Principis, inclaruit, in quo actu ad Serenissimum Jacobum, Poloniae Principem, licet absentem per respondentem pro loco Clarissimum virum directa oratio, quam terso et eleganti stylo, panegyris eiusdem Principis complexa fuerit, typis vulgata ostendit. Subsecuta mox die nona eiusdem mensis pro loco inter Sacrae Theologiae Doctores incomparabilis viri Martini Winkler Decani S. Floriani Responsio eiusdem Serenissimi Alexandri Principis augusta praesentia, actus dignissimi decus et gloriam meruit, stupendis omnibus ab oris Winkleriani aequae erudita, ut et dulci facundia, quae in tamquam augustissimi Regii sanguinis felici informatore, simul augusta et gratiosissima regnat. Post haec erudita hilaria, mors quoque lugubria sua ad finem mensis Novembris non omisit, summi nominis et meriti viro Andrea Grabianowski, Juris Utriusque Doctore, Canonico Cracoviensi e vivis sublato. Utrasque ille Philosophicas laureas in Universitate nostra prensaverat, tertiam Romae Juridicam. Ex notario consistorii Cracoviensis Collega minor, et deinde Jure Consultorum factus post obtentum inter Juris Utrius Doctores, in Universitate nostra locum et post diuturnos in Professione Juridica ac fidelissimos labores, adiectus ab Andrea Trzębicio, Episcopo Cracoviensi in generalem Capitularum Auditorem et post Canonicatu Cracoviensi ornatus, Collegio Jure-Consultorum renuntiaverat, vir legum et Canonum peritissimus, iudicio et praxi iuridica magnus, pietate in Deum insignis, eleemosynis in egenos munificus constantique Virtutum gloria usque ad exitum vitae spectatissimus, atque in eximiis ex sanguine suo viris, quos bono publico sancte educaverat, vivens adhuc et nominis immortalitate superstes. Sed coronet iam annum hunc Supremus in Orbe Christiano Coronarum Arbitr, In-

